

tutem, ut videre est in aquis baptismalibus, quæ admundandas et purificandas animas a macula culpæ originalis, imo et actualis in adultis per dispositionem divinam elevantur; ita quoque iustitia vindicativa Dei ignem infernalem adhibet, ut per eum omni cum severitate impius puniatur, idque citra proprium ignis vigorem, siquidem cum ignis noster elementaris in abyso illa non nisi corpus cruciare posset, infernalis ipsas quoque exerceat animas. Cum enim ex communi Philosophorum axiomate ignis noster sit calidus ut octo; quidni Deus per omnipotentiam et voluntatem suam, juxta scelera et flagitiorum proportionem efficere poterit, ut ignis infernalis ad 30, 60, imo centum et plures pertingat, excedatque calor gradus juxta divinæ iræ proportionem, quia quis novit potestatem iræ suæ, et iram suam dinumerare? Nam S. Paulus ait: « Horrendum est, incidere in manus Dei viventis. » *Mansi, disc. IX, n. 3.*

Sicut Romani olim in theatris publicis feras irritabant, atque exacerbabant, ut tanto magis ferocientes desceverent in Martyres; ita et Deus noster absque ulla compassione voracissimam igni illi, tanquam justissimi furoris sui instrumento conferet activitatem. Unde alibi damnatis exprobrat, dicens: Ignem succendistis in furore meo, usque in æternum ardebit. Ex quibus verbis clare deducitur, ignis hujus folles esse furorem Dei. *ib. disc. IX, n. 4.*

Sicut in Beatis erit perfecta sanitas, tam in singulis membris, quam in toto corpore; sic in corporibus reproborum, et singulis eorum membris, erit infirmitas incurabilis, et dolor incomparabilis. *S. Ans. apud Mansi, disc. XV, n. 4.*

Sicut, si esset unus pater cum septem filiis moriturus, ipse pater haberet dolorem suum, et omnium filiorum suorum, et e contrario, et dolor unius transiret ad alium participatione, ita quod haberet et sentiret suum dolorem, et participaret de dolore aliorum filiorum suorum, et e contrario; sic et in inferno apud damnatos. Et hoc est, quod dicit: Quod fumus transibit de seculo in seculo. *S. Bernard. t. IV, ser.*

Sicut anima est vita corporis, sic anima est vita Deus; et sicut expirat corpus, cum animam amittit, sic expirat anima, cum Deum amittit; Deus amissus, mors anima; sicut anima amissa mors corporis est. *S. Aug. ser. v, de Verb. Do.*

Sicut oves repente et improvise ad mortem ducuntur, et occiduntur; ita maligni subito et inopinato condemnabuntur. *Dion. Cartus. in Ps. XLVIII.*

Sicut in domo Patris mansiones multe sunt pro diversitate virtutis; sic damnatos diverso supplicio gehennæ ignibus subiecti disparilitas criminis. *S. Greg. I. IV Mor. c. XXXIX.*

Sicut, quamdiu cadaveris materia est, et aliquis humor in cadavere, vermes nascuntur ex putredine; sic ex materia peccatorum, quæ in damnatis nunquam consumitur, assiduis vermibus conscientia nascitur. *S. Hier. I. VI, in c. II, Ps.*

Sicut electis ignis ardet ad solatium, et tamen ad supplicium ardere nescit; ita e diverso gehennæ flamma reprobis nequam lucet ad consolationis gratiam, lucet tamen ad pœnam. *Idem. in c. XI, Job.*

Sicut aurum et salamandra in igne persistent, nec dissolvuntur; ita damnati in inferno ardebunt, nec tamen corumpuntur. *Fab. conc. II, in Dom. 19, post Pent.*

Sicut ventus excitat perpetuum Æthiæ incendium; ita decretum damnationis succendit ignem inferni non secus, ac si torrentem sulphuris continuum expueret in illum. Unde Isaias dicit: Flatus Domini sicut torrens sulphuris succendens illam (gehennam). *Is. XXX. 33.*

Sicut colligitur zizania, et igni comburuntur; sic erit in consummatione sæculi; mittet Filius hominis Angelos suos, et colligent de Regno ejus omnia scandala et eos, qui faciunt iniquitatem; et mittent eos in caminum ignis. *Matth. XIII, 40.*

Sicut electos beatitudo lætificat; ita credi necesse est, quod a die exitus sui ignis reprobos exurat. *S. Greg. I. IV Dial. c. XXVIII.*

Sicut nullum gaudium rerum temporalium ex aliqua parte simile potest inveniri vite æternæ, quam Sancti accepturi sunt; ita nullus cruciatus pœnarum temporalium potest sempiternis iniquorum ignibus comparari, aut par excogitari. *S. Aug. de Catech. rud. c. XXIV.*

DIVERSITAS. — Sicut in hoc mundo multi sub uno sole consistunt, nec tamen ardorem aqualiter sentiunt; ita in inferno unus est quidem ignis, non tamen omnes aqualiter cruciabit; quia quod hic agit dispar valetudo corporum, hoc illic exhibet dispar valetudo meritorum. *S. Greg. I. IV et I. IX Mor. c. XLVII.*

Sicut fasciculi lignorum ad comburendum de similibus colliguntur; ita in judicii die similibus culpæ rei, suis similibus jungentur, ut ex æquo pœna constringat quasi in fasciculum, quos actio similes fecit in malum. *S. Isidor. I. II, de Sum. bono, c. XXXII.*

Sicut unusquisque sanctus in futuro judicio pro quantitate virtutum glorificabitur; ita et unusquisque impius pro quantitate facinorum condemnabitur, nec deerit in supplicio futuro damnationis ordo, sed juxta qualitatem criminum, Propheta affirmante, discretio erit pœnarum. *Ibid.*

ÆTERNITAS. — Sicut penitentibus Index debet iustitiam prestare; ita obstinatis et contumacibus nullam debet veniam tribuere. *S. Hier. apud Inclinum, de Nov. p. III, c. XII.*

Sicut herba pastus partim absconditur, partim radicibus nixa relinquitur, ut iterum reparata pascatur; ita mors depascet eos, qui in inferno positi sunt, teste Davide; mortis enim nomine summus cruciatus, pastus vero æternitas ejus designatur. *Ps. XLVIII.*

Sicut consumitur nubes, et pertransit; sic qui descenderit ad inferos, non ascendet. *Job. VII, 9.*

Sicut, qui censu perpetuo subiecti domum suam pro multo accepto, v. g. mille florenorum, etsi intra viginti annos totidem solvat, adhuc capitalem summam debet; ita eum damnati sint inimici Dei, nunquam debitum suum persolvere possunt, sed semper antiquæ pœnæ obnoxii sunt. *Faber, conc. VIII, in Festo S. Cathar. n. 1.*

Sicut qui in flumen lapsus est, nave discedente, quocumque manus extendat, non invenit nisi liquidam et fugitivam aquam, que non sublevarit mergendum, sed suffocet; ita damnati, quocumque veniant opem petaturi, actum agunt, quia tempus gratiæ et auxilii elapsum est. *ib. n. 6.*

Sicut in infinitum peccavit; sic pœnam habeat peccator æternam, sed quia infinitam non potest habere intensione, habeat tunc saltem infinitam duratione. Unde Psalmista ait: « Laborabit in æternum, et vivet adhuc in finem. » *S. Bernard. ser. XXX, extr.*

Sicut herba ab ovibus carpitur, sed non radicitus evellitur, ut continua renascatur, ut sic semper sit, quod carpatur; sic homo in inferno moritur, et ut semper mori possit, ad vitam continue reparatur. *S. Bonav. Ser. I de S. Laur.*

NECESSITAS. — Sicut chirurgus ad vulnus sanandum primo utitur lenitibus et corrosivis medicamentis, ubi vero hæc nihil proficere viderit ad eruendam saniem, ferro nititur et igne; eodem pariter stylo uti debet spiritualis animarum medicus, quando enim se per vicem amoris, vel per motivum æternæ remunerationis animam a vitii putredine liberare non posse videt, ad consequendum sanitatis spiritualis intentum necossum est, ut æterni supplicii quoque ignem adhibeat. *Mansi, disc. III, n. 8.*

UTILITAS. — Sicut si quis virgam videm distortam rectam facere cupiat, ignem adhibere solet, dum enim virga calorem sentit, in quamlibet sibi libitam partem eamdem flectit; eodem modo quantumvis Christianus aliquis dissolutus sit, et scandalosus, si tamen per seriam considerationem in flammis æternas respiciat, perversos mores suos sine mora reformabit. Evigila igitur, inquit Sanctus Augustinus, ex dolore tuo, corrigere ex cruciatu tuo. Ligno male curvo nosti calorem solere adhiberi; corrigat te dolor iste, mundus est flamma ignis æterni tamquam calor foci admotus curvo cordi tuo, ut hinc admoveatur, et corrigatur. *S. Aug. de Oculis.*

Sicut ignis et fumi propinquitas fletum et lacrymas provocat; sic et meditatio ignis et fumi infernalis lacrymas compunctionis extorquet. Unde quidam dixit: Si non potes habere lacrymas, pone oculos tuos ad fumum inferni et ardorem ejus, et ad vehementiam aquilonis, a quo panditur omne malum, et sic habebis. *Belev. Spec. mor. p. IV, l. II, dist. IV.*

Sicut cum fluctus tumentes imminent, cumque eam, quam deferunt mortem, minantur, nulla tunc navigantibus rerum cura temporalium, nulla carnis delectatio ad mentem reducitur; ea quoque ex navi projiciunt, pro quibus longa navigia sumpserunt, evectæ res in respectu mentis veniunt. Eundem prorsus effectum operatur suppliciorum æternorum consideratio, hæc enim thesaurorum, sceptrorum, deliciarum, delectationum nos facit concipere nauseam; adeo proinde Job a divitis, a filiis et imperiis adeo se exhibuit alienum, ut diceret: « Nudus egressus sum de ventre matris mee, et nudus revertar illuc. » *S. Greg. I. XXI, Mor. c. XVII.*

## MOTIVA.

*Ad memoriam Inferni refrigerandam.*

*Necessitas*; nam ut S. Chrysostomus ait: Non minus gehennæ comminatio, quam promisso Regni ineffabilem ipsius clementiam commendat. Nisi enim ille gehennam minatus esset, non facile quispiam celestibus bonis potiretur, juxta illud Siracidis: Si non in timore Domini teneris te instanter, cito subvertetur domus tua. Hinc Tertullianus: Peccati cessatio, radix veniæ; gehennæ meditatio, principium salutis. S. CHRYSOST. l. I, de *Provid. Divina*, tom. IV.

*Utilitas multiplex. Primo ad tentationes vincendas*, ut Rabanus suavitatis dicens: Illam gehennæ ignem, his quæ te nunc exagitant, flammis libidinis et cupiditatis opponere; est enim hoc miserabile quoddam medicamentum genus, ut ignes ignibus extinguantur; si enim extinctæ non fuerint libidines istæ, quæ te nunc exagitant, illos tibi æternos ignes acriores, et inextinguibiles reddent. Hinc de S. Antonio scripsit S. Athanasius: Hic ultrices gehennæ flammæ, et dolorem vermium recordans, ingestæ sibi libidini opponerebat. RABANUS t. VI, l. III, de *Modo penit. c. x.* Unde et S. Bernardus suavitatis: Ardor gehennæ extinguit in te ardorem luxuriæ, major ardorem ardorem superet, stridor flammarum horribilis amorem depellat libidinis. S. BERN. ser. XXIII, de *Modo bene vivendi*.

*Secundo, ad peccata vitanda*; nam ut S. Chrysostomus testatur, nihil est æque utile, ac de gehennâ disserere (quidni et cogitare?) fieri enim non potest, ut anima de gehennâ sollicita cito peccet. Audi enim optimam admonitionem: « In memoria revoca novissima tua, et in æternum non peccabis. » Quia ut idem alibi ait, quanto quis vehementius metuit poenam, quam meruit, tanto acerbius plangit culpam, quam fecit. S. CHRYS. hom. II, in epist. ad *Thessal.* Hinc etiam S. Gregorius dixit: Dum culpa blandiri inchoat, ad quem interitum mens trahatur, necesse est, agnoscat. S. GREG. apud Mansi, disc. IV, n. 6.

*Tertio, ad patientiam conservandam*; nam ut S. Augustinus recte dixit: Dura sunt, molesta sunt, horrent, quando narrantur, quæ quisque gravia valde patitur in hac vita, in

comparatione autem æterni ignis non parva, explicans illa verba: S. AUG. ser. CXX, de *Temp.*

*Quarto, ad Inferni Demones vincendos*; quod Mansi sic ostendit: Teste Sapiente, leo fortissimus bestiarum, ad nullius pavebit incursum, et tamen qui eum perterrefacere intendit, ignem objiciat ferocienti, moxque deposito furore atque ferocia profugiens, intra specum sese recludit. Leo iste Dæmon est, dicente Apostolo Petro: « Tamquam leo rugiens circuit, quærens, quem devoret; » qui igitur contra eum victoriam reportare desiderat, meditatione se armet ignis infernalis, plurimi namque per hoc unicum medium suam emendandam vitam atque mores, se e servitute eripuerunt dæmoniacæ.

*Quinto, ad gehennam effugiendam*; nam ut S. Chrysostomus ait: Si minis gehennæ non essemus terribili, omnes forte in gehennam præcipitaremur. S. CHRYS. t. VI, de *Judicio*. Hinc idem alibi ait: Nullus ex his, qui gehennam habent ante oculos, incidit in gehennam; nullus ex his, qui gehennam despiciunt, effugiet gehennam. Idem, hom. II, in ep. II, ad *Thessal.* E contrario vero, multi dum se recreare volunt, efficiuntque, ut gehennæ non meminerint, per hanc securitatem, metusque vacuitatem, in magnum interitus se barathrum imprudens immittunt; et ideo rogo, ut gehennæ memineris, de gehennâ loquaris. Idem, in Ps. XI, tom. III.

*Jucunditas*; si enim, ut S. Chrysostomus ait, nihil jucundius est sermone, quo de gehennâ disseritur, quia hæc audiendo anima in te convertitur, et cautior facta effertur altius, et volat sublimius, ac malignæ cupiditatis expellit tyrannidem, quidni idem etiam de cogitatione gehennæ dicatur? S. CHRYS. hom. XLIV, in *Matth.*

## MOTIVA.

*Ad Infernum timendum et fugiendum.*

*Gravitas*; nam teste S. Augustino, paulo ante citato: Quæ quisque gravia valde patitur in hac vita, in comparatione æterni ignis, non tantum parva, sed nulla sunt. S. AUG. ser. CXX. Et confirmans id ipsum S. Bonaventura: Gravissima, inquit, poena, quæ in hoc mundo potest tolerari, minor est poena Purgatorii; ut ait Augustinus, quanto magis poena inferni! S. BOAV. in *Diet. t. X, c. 1.*

*Multitudo*; quam indicavit Astensis, dum explicans illa verba: Pluet super peccatores, ait: Quare dixit, *pluit*? Quia innumera tormentorum genera super peccatores effundet, a quibus semel detenti, numquam amplius expediri poterunt. ASTENSIS, in Ps. X.

*Omnium malorum presentia*; si enim unicum grande malum, v. g. acutus dolor dentium; aut podagræ intolerabile nobis videtur, quid de tot malorum presentia sentiendum erit? Nam, ut S. Augustinus ait, non erit iste ignis, sicut focus tuus; quo tamen si manum mittere cogaris, facies, quidquid voluerit, qui hoc minatur. S. AUG. in Ps. II.

*Omnium bonorum absentia*; de qua ita loquitur S. Augustinus: Si non veniret ignis diei judicii, et sola immineret peccatoribus separatio a facie Dei, in qualibet essent affluentia deliciarum, non videntes, a quo creati sunt et separati ab illa dulcedine ineffabilis vultus ejus, in qualibet æternitate et impunitate peccati, plangere se deberent. Ibid.

*Omnium penarum indesinitio, et æternitas*; nam ut S. Gregorius ait, erit miseris mors sine morte, defectus sine defectu, quia mors ibi semper incipit, et deficere necesse est. S. GREG. sup. *Matth. c. VIII.* Porro ignis corporeus, teste Hugone de S. Victore, ut esse ignis valeat, corporis indiget fomentis, qui cum necesse habeat, ut servetur, per congesta ligna procul dubio nutritur. At contra gehennæ ignis cum sit incorporeus, et universos reprobos corporaliter exurat, nec studio humano succenditur, nec lignis nutritur, sed creatus semel, durat inextinguibilis, et successione non indiget. Hugo de S. Victore. l. de *Sacr. fide*, p. XVI, c. IV. Quod confirmans Eusebius Emysseus: Hanc solam, inquit, debet damnato homini rationabilis ille ardor, ac vindæ flamma reverentiam, ut traditos sibi reos cum possit punire, non possit extinguere, sed deputata in pabulum suum corpora et consumat, et nutrit. EUSEB. EMISS. hom. II, de *Sym.*

Cujus ulteriorem rationem assignans Tertullianus: Longe alius, inquit, est ignis, qui usui humano, alius, qui Dei justitiæ deservit. Hic enim non assumit, quod exurit, sed dum erodit, reparat. Quid mirum, si æternaliter ardebit? Æterna erit materia, æternum pabulum anima et peccatum. TERTULL. in *Apolog.* Quod ipsum

clarius insinuans Innocentius Tertius: Impius, ait, quia semper habebit in se reatum ex culpa, semper sentiet contra se cruciatum ex poena, quia quod ipse per poenitentiam non remittit, Deus per indulgentiam non remittit. INNOC. III, *Cap. 49, de Mundi contemptu*.

*Societas*; de qua Hugo de S. Victore sic loquitur: Illa ultrix flamma vitorum creationem habet, lumen non habet. Ille ignis ad consolationem non licet, et tamen ut magis torqueat, ad aliquid licet; nam sequaces quoque suos secum in tormento reprobi, flamma illustrante, visuri sunt, quorum vivi amore deliquerunt, quatenus quorum vitam carnaliter contra præcepta Conditoris amaverant, ipsorum quoque intuitus eos in augmento suæ damnationis affligit. HUGO DE S. VICTORÆ. de *Sacr. fide*, t. III, l. I, f. 16, c. v. Eiusdem societatis molestiam S. Chrysostomus his verbis indicat: Si quis ex iis, qui liberaliter sunt educati in carcerem conjectus, fetorem solum, et jacere in tenebris, et in vinculis esse cum homicidis, quavis morte ducit esse gravior, cogita, quid tunc quod urimur cum hujus terre homicidis. S. CHRYS. hom. I, ad *Hebræos*.

*Vermis triplex conscientie*; de quo Innocentius III, loquitur: Vermis conscientie tripliciter lacerabit; affliget memoria, exacerbabit poena, torquebit angustia; venient enim in cogitatione peccatorum suorum timidi, et traducent illos ex adverso iniquitates eorum, dicentes: Quid profuit nobis superbia, et jactantia divitiarum quid contulit nobis? Transierunt omnia. Cum ingenti turbatione recogitant, quæ cum nimia delectatione gesserunt, ut stimulus memoriam pungat ad poenam, quos aculeus nequitiæ stimulavit ad culpam. INNOC. III, de *Contempt. mundi*, l. III, c. II. Cujus vermis gravitatem etiam explicat Josephus Mansi his verbis: Deus enim damnatis aperte infinitam revelavit innumerabilem offensarum gravitatem, quibus cum injuriati et contumeliati fuerunt, sibi que viva peccatorum cognitio et apprehensio semper manebit, ut ream conscientiam incessanter rodendo affligat. Vermis eorum non morietur; eritque hic vermis morsus, non spina tantum, sed et clavus corda et animas impiorum incessanter transfigens; adeoque in infernum, in centro terræ situationem, alium quemdam secum deferent infer-

num, qui est mala conscientia, de qua S. Bernardus inquit: Infernus quidam, et carcer anime, rea conscientia est. *Mansi*, disc. xviii, n. 10.

*Invidia animam lancinans*, quam Salomon indicavit, dicens: Videntes turbabantur timore horribili, dicentes intra se, et præ angustia spiritus gementes: Hi sunt, quos habuimus aliquando in derisum, et in similitudinem improperii; nos insensati vitam illorum aestimabamus insaniam; ecce quomodo computati sunt inter filios Dei, et inter Sanctos, sors illorum est. *Sap. v.* Quam clarus explicans S. Antonius ait: Invident enim gloriæ Beatorum, quam in generali intelligunt, etiamsi fuerint amici, et consanguinei in mundo, et tanta est peruersitas eorum, quod vellent omnes secum esse damnatos. Iste zelus invidiæ finem non habet, permanens jugiter sine fine, ut dicit Glossa super Epistolam ad Corinth. Et quanto ille, cui invidetur, successu majore proficit, tanto majoris livoris incendio mundus inardescit. *S. Anton. p. IV, tit. xiv, c. ix, § 8.* Radicem vero hujus invidiæ indicat S. Bonaventura his verbis: Invidia exurgit ex defectu charitatis, et amore proprii boni, sed utrumque in damnatis est; ergo in eis est maxima invidia. Si ergo invidus nollet aliquem videre bonum, nec beatum; ergo damnati vellent, quod omnes cum eis essent damnati. Dentibus suis frement, et tabescent, quoniam vigeat in eis odium, et invidia; et vehementer tristabuntur, et tabescent in gloriam electorum, et ideo ad faciendam suam impiissimam emulationem, vellent nullos esse bonos, imo omnes miseros; et quia nec ipsi ad beatitudinem possunt pertinere, nec alios possunt a statu beatitudinis removere, ideo in se ipsis vehementer tabescent, et confunduntur. *S. Bon. in IV, dist. I.*

*Desperatio*, quæ, ut S. Cyprianus advertit, omni tormento atrocis condemnatos affliget, non miserabitur ultra Deus, neque tunc audit penitentes. *S. Cyr. s. de Ascens.* Unde locus damnatorum a Gentilibus *Lethes* dicitur, et interpretatur *oblivio*, quia scilicet sui, id est, ejus, qui est damnatus, tradunt eum oblivioni, et Deus etiam videtur eorum oblivisci. *S. Anton. l. c. cap. viii.* Quibus consentiens Innocentius III. Non humiliabuntur, inquit, reprobi jam desperati de venia, sed malignitas odii tantum in illis exerescet, ut velint illum omnino

non esse, per quem sciunt, se tam infeliciter esse. *Innoc. III, loc. citat. cap. x.* Quam gravis vero sit hæc pœna, indicat Dionysius Carthusianus his verbis: Desperatio sempiterna præ cœteris pœnis deprimit, transfodit, exeruciat mentem. Hoc quoque præ aliis pœnis transverberat cor damnati, quod in lot tormentis scit, et perpendit, se sine spe evadendi mansurum. *Dion. Carth. ap. Mansi, d. xxiv, n. 6.*

*Separatio ab omnibus charis*; nimirum subtractio omnium subsidiorum a Deo, seu Personis Divinis, ab Angelis, a Sanctis, a notis, ab Ecclesiæ suffragiis, a bonis peractis, a locis sacris. In vita præsentis habent etiam maximi peccatores subsidium multiplex a Deo, præcipue penitentiam, per quam placatur, in qua Pater cor lapideum fragit per potentiam contritionis, Filius illuminat per manifestationem confessionis, et Spiritus Sanctus dignificat per fructum satisfactionis; sed damnatus non dabit Deo placationem suam, ut dicitur *Ps. lxxviii*, quia penitere non potest. *S. Anton. l. c. § 41.*

*Cœcitas animi*; nam ut Innocent. III ait, tantam in pœnis reprobi sustinebant angustiam, ut nihil cogitare valeant, præter pœnas, sed illic dirigunt impetum cogitationis, ubi sentiant vim doloris, Salomone dicente: Nec opus, nec ratio, nec scientia, nec sapientia est apud inferos, quo tu properas. Deus namque animabus damnatis vivacissimam, eamque continuam imprimet, pœnarum infinitarum, quas per omnem æternitatem sufferunt, et sufferent, apprehensionem, absque eo, quod vel ad minimum temporis momentum se ad alia divertere possint. *Innoc. III, lib. III, de Contempt. mund. c. vii, 2.*

*Bellum continuum corporis ad animam, et e converso*; eo quod corpus convitiatur anime, quod ipsa debebat regere ipsum ad bonum, et direxit ad malum; anima autem corpori e converso, quod delectationes corporales seduxerunt eam, et quod prona fuit ad malum caro omni tempore, ad bonum autem pigra et infirma. *S. Albert. Mag. l. de Muliere fort. c. xvi, § 4.* Quod etiam S. Bernardus confirmans: Anima, ait, odiet corpus, et corpus odiet animam, et ipsam abhorrebit; et omnes partes corporis similiter ad invicem erunt discordes; et appetent separari ab invicem, nec poterunt dissolvi; unde oportebat affligi utrumque; corpus, quia a sua anima

torquebitur in æternum; anima vero, quia recolet, et intelligit corpus suum in æternum torqueri, et diligit naturaliter habere gloriam, quam desperabit attingere.

*Pœna damni*, cujus gravitatem explicans S. Antonius: Sancti, inquit, ex beatissima visione consequuntur maxima gaudia; delectationes in dextera tua usque in finem. Dextera Dei est vita æterna. *S. Augustinus*: Delectationes sunt ex visione Dei usque in finem, id est, usque ad perficiendum omnem appetitum. E contra damnati ex privatione hujus visionis habent summam tristitiam; et sicut Beati ex omni parte supra, intus, infra, extra, et circummeira pleni sunt gaudio, propter quod dicitur cuilibet illorum: Intra in gaudium Domini tui; ita damnati ex omni parte circumdati sunt dolore ex consideratione prætorum quæ amiserunt. *S. Anton. p. IV, tit. xiv, c. iii, § 10.* Cui assentiens S. Laurentius Just. ait: Interminabilis Divinæ visionis carentia, quæ dolores supereminet universos. *S. Lav. Justin. de Vit. solit., c. x.* S. Bonaventura vero dicere ausus est: Si mille gehennas mihi proponas, non tantum reputo, sicut ab illius gloriose societatis juveniditate expelli, et exosum fieri Creatori. O anima, terribilis est gehenna, sed terribilior facies Judicis irata. *S. Bonav. tom. VII, Soliloq.*

#### MEDIA.

##### Ad vitandum Infernum.

*Charitas Divina*. Nam ut S. Augustinus dixit: Unum de duobus palmis congruit, aut vitis, aut ignis; si in vite non est, in igne erit; ut ergo in igne non sit, in vite sit. Quænam autem est vitis illa? Salvator noster ipse, hic namque de semetipso dicit: Ego sum vitis vera, et vos palmities. Si itaque tamquam veri palmities huic viti vivere volumus uniti, igne ardeamus oportet charitatis; quoniam qui manet in charitate, in Deo manet, et Deus in eo. *S. Aug. tr. lxxxii. in Joanne.* Quod confirmans S. Bernardus: Qui perfecte, ait, vivit, non habet, unde in inferno damnatur, sed unde in celo coronatur; qui perfectam in se habet charitatem, non timet in inferno puniri, sed sperat in celo cum Deo glorificari. *S. Bern. l. IV, de Modo bene vivendi.*

*Amor et fiducia erga B. Virginem*. Uti mulier conjugata in Paraquaria indienvit, a vite prohibite ac sanctimoniam omnibus nota, ut quæ innocentiam in baptismo acceptam nunquam graviore delicto fœderat. Marito peste sublato, eadem et ipsa afflata, coepit Dei videndi desiderio æstare, erevile, quæ æstus usque ad supremum spiritum; jamque moritura Patri hæc paucula dixit: Ineffabili gaudio delibuta morior; oro te, ut pro animi mei solatio semel ad Aram facias; ego in celo beneficii memor ero. Quæ dum dixit, expiravit. Lugentibus omnibus, ad se redit, expiravit. Pater, reperit eam celestibus gaudiis affluentem, et ligneum crucifixum osculantem. Ubi autem Patrem vidit: Seito, inquit, mi Pater, nocte hæc certo me mortuam fuisse, deductaque sum ab Angelo, ut viderem damnatorum supplicia, in quibus plures mihi notos agnovi. E Sodaliis B. Virginis coetu vidi neminem. *Ex. lit. An. 1635. c. xxxvi.* Quod confirmatur ex eo, quod etiam clienti cuidam singulariter colenti S. Annam, B. Virgo cum Christo et S. Anna apparuit, et dixit: Ego sum soror tua, et nos inferni portas claudemus, nec illic intres, eo quod semper honoraveris Matrem meam. Ita est profecto; et nam S. Anselmo teste, impossibile est, ut perat qui ab hæc respectus est. *Nadasi, 26 Jul. in anno Cælesti.*

*Amor Dei*. Non enim se compatiuntur ignis amoris divini et ignis infernalis.

*Præmeditatio, et consideratio crebra Inferni*. Nam si, cum in carcerem quemdam ingressi sumus, inquit S. Chrysostomus, atque alios squalore confectos, alios catenis vinctos, ac fame laborantes, alios in tenebris clausos conspiciamus, animis commovemur, atque perhorrescimus, nihilque non facimus, ut ne in eum locum incidamus; cum ad ipsos gehennæ æquales traheamur, quinam futuri sumus? Non enim vincula illa ex ferro confecta sunt, sed igne perpetuo ardente. *S. Chrys. hom. xi, in l. ad Cor.* S. Bernardus id ipsum quoque sic declarat: Satis suave est jacere in uno lecto, et mundo; et tamen si alicui posito in tali statu diceretur: Jacet, et quiescit, quia oportebat ita jacere viginti annis, ipse responderet: Potius vellem esse mortuus. Quid ergo de illo, qui erit in igne ardenti, et scit, se ibi mansurum non per mensem, et annum, sed per infinita secula sæculorum. *S. Bern. t. IV, ser. 18. extraor.*

Hinc merito S. Ephrem hortatur : Meminerimus infirmitatis naturæ nostræ. Quid calice minus aut vilis? Et hujus minas sufferre nequimus. Quid ergo adversus venenatum, et non quiescentem vermem facimus? S. EPHR. *Peren.* XLVII.

*Memoria crebra Inferni.* Sic enim S. Prosper suavit, qui postquam ingentem tormentorum infernalium texisset congeriem, tandem concludit dicens. Hæc et multa similia cogitare, nihil est aliud, quam vitis omnibus repudium dare, et omnia blandimenta carnalia refrenare. S. PROSPER, l. III, *de Vita cont.* c. n. Quod confirmans Josephus Mansi: Unus, inquit, ignis ad alium ignem compescendum, ne noceat, remedium est, juxta illud: Ignis igni remedium est, sic enim experientia docet, quod, dum caminus ex concepto igne luculentas flammæ edit, unius dumtaxat sclopeti explosione flamma illa confestim extinguatur. Quod si gehennæ quis semper meminisse labore, omnem mortem deridebit; et non præsentem tantum angustiam liberabitur, sed ab illa flamma eripietur. Gehennam enim continue timens, nunquam in gehennæ ignem decidit, continue hoc castigatus metu, ait recte S. Chrysostomus. MANSI, disc. II, n. 7. Cui consentiens S. Bernardus: A cella, ait, in cœlum sæpe ascenditur, vix autem unquam a cella in infernum descenditur, nisi sicut dicit Psalmista: Descendant in infernum viventes, videlicet ne descendant morientes. Hoc enim modo sæpe cellarum incolæ in infernum descendunt. Sicut enim revisere amant gaudia cœlestia, ut ea ardentius appetant; sic et dolores inferni, ut horreant et fugiant. S. BERN. in lib. *de Vit. solit.*

*Sæpe loqui et concionari de Inferno;* quia, teste Divo Chrysostomo, nihil est æque utile, atque de gehenna disserere; quovis argento puriores nobis efficit animas. S. CHRYS. hom. II, in II. *Thess.*

*Dolere de peccatis;* nam, ut Sanctus Bernardus ait, optimum est tunc sentire vermem, cum possit etiam suffocari. Itaque mordeat nunc, et moriatur, et paulatim desinat mordere. Mordendo rodat interim putredinem, ut rodendo consumat, et ipse pariter consumetur, ne foveri incipiat in immortalitate. S. BERN. *de Conv. ad Cler.* c. VI.

*Fuga peccati;* juxta consilium Siradiæ dicentis: Fili, ne semines mala in sulcis injustitiæ, et non metes ea in septuplum.

*Misericordiæ exercitium.* Soli enim immiseriordes audient illud: Ite maledicti in ignem æternum; e contrario vero beatos dicit Christus misericordes, quoniam misericordiam consequentur. MATTH. XXV.

*Voluntatis propriæ abnegatio;* juxta illud S. Bernardi: Cesset voluntas propria, et infernus non erit. S. BERN. s. III *de Res. Dom.*

*Humiliatio.* Ut Ecclesiasticus monuit dicens: Humilia valde spiritum tuum, quoniam vindicta carnis impii ignis et vermis. ECCLES. VII, n. 17.

#### ASCETICA.

*In primis nosse debet Asceta quid sit Infernus.* Nimirum quod sicut gloria Paradisi definitur, quod sit status omnium bonorum aggregatione perfectus; ita quoque pœnarum illarum acerbiter definitur possumus dicendo, quod sit status omnium malorum excogitabilium; est etenim carcer aliquis in centro terræ positus, fumo et caligine, igne, fetore, et, ut verbo dicam, omni miseria plenus, qui æternam in se includit omnium bonorum privationem, estque aggregatum quoddam malorum omnium excogitabilium. In illo sunt, ut S. Bonaventura ait, septem pœnæ, ignis, vermis, fetor, fumus, tenebræ, vincula, frigus. In illo horribili loco in supplicium reproborum adimplebitur, quod in libro Sapientiæ dicitur: « Pugnabit pro illo orbis terrarum contra insensatos; » nam omnibus creaturis, ut Lyranus inquit, utetur ad afflictionem reproborum; divina namque Justitia omnia elementa, velut suppliciorum suorum instrumenta adhibebit. Non solum ignis reprobos inflammabit, inquit S. Bonaventura, sed et cœtera elementa confusa et permixta in reprobos convertentur; ita quod erit ibi ignis ardens, aqua congelans, aer inquietus et perturbatus, et terra fetor. S. BONAV. ser. II, in *Sezag.*

*Nosse debet, ob quem finem creatus sit Infernus;* id quod S. Chrysostomus breviter indicavit dicens: Gehennam propterea condidit, ut metus pœnæ, intolerabilisque cruciatus ad Regnum nos cogat. S. CHRYS. hom. III, in *Gen.*

*Nosse debet, cur Infernus secunda mors dicatur;* nimirum ob causam a S. Bernardo indicatam, dum dixit: Horreo mortem vivam; horreo incidere in manus mortis ventis, et vite morientis. Hæc est secunda

mors, quæ nunquam occidit, sed semper occidit. Quis det illis semper mori, ut non moriantur in æternum? S. BERN. lib. V, *de Consid.* c. XII. Clarius vero S. Augustinus: Secunda mors, inquit, dicitur, quia nec anima ibi vivere dicenda est, quæ a vita Dei alienata erit, nec corpus, quod æternis doloribus subjacebit; ac per hoc ideo durior ista secunda mors erit, quia finire morte non poterit. S. AUG. l. XIX, *de Civit. Dei.* c. XXVIII. Et alibi: Ubi mors queritur et non invenitur. Quare in inferno mors queritur et non invenitur? Quia quibus in hoc sæculo vita offeritur, et nolunt accipere, in inferno querunt mortem, et non poterunt invenire. Hinc ulterius infert: Si ergo labore tanto, tanto conatu, tantis impendiis, tanta instantia, tanta vigilantia, tanta cura agitur, ut aliquantulum plus vivatur, quomodo agendum est, ut semper vivatur? Esi prudentes dicuntur, qui omnibus modis agunt, ut differant mortem, et vivant paucos dies, ne perdant paucos dies, quam stulti sunt, qui sic vivunt, ut perdant diem æternum? Id. ser. LII, *de Temp.*

*Nosse debet, cur tam graves accidant pœnæ damnatis.* Id quod S. Augustinus sequentibus verbis declarat: Quod bellum gravius, aut amarius excogitari potest, quam ubi voluntas sic adversa est passioni, et passio voluntati, ut nullius earum victoria tales inimicitiae finiuntur, et ubi sic confligit cum ipsa corporis natura vis doloris, ut neutrum alteri cedat? Hic enim quando contingit conflictus, aut dolor vincit, et sensum mors adimit, aut natura perdurans vincit, et dolorem sanitas tollit. Ibi autem et dolor permanet, ut affligat, et natura perdurat, ut sentiat, quia utrumque ideo non deficit, ne pœna deficiat. S. AUG. *de Civit. Dei.* l. VI.

*Nosse debet, cur pœna æterna damnatis sit constituta.* Quod Josephus Mansi sic explicat: Sicut debitor aliquis, qui ob res alienum carceris vinculis constrictus tenetur, nunquam dimittitur, quamdiu pecunia illi deest, quæ creditoris suo satisfacere possit; ita quoque hæc est indeclinabilis damnati infelicitas, quod ex inferno nunquam sit dimittendus, quia nec habet, nec unquam habere poterit summam infinito peccati debito exsolvendo necessariam; census enim, quo Divinæ satisfactiæ pro culpa commissa, est aversio a creatura, et conversio ad Creatorem. At vero voluntas damnati in odio

Dei irrevocabiliter obstinata, ad eum converti nunquam poterit, et ideo semper in æternum audiet: « Non exibis inde, donec reddas novissimum quadrante. » MANSI, disc. XXXV. Circa quæ verba Abulensis sic dicitur: Verum est, quod peccatores detruduntur in infernum, quia debitores sunt, et donec solvant, ibi manent, et tamen, quia nunquam solvent, manebunt in æternum. Non solum nunquam persolvent totum debitum, sed etiam nunquam incipient solvere minimam partem debiti. Solvere debitum peccatorum, est satisfacere Deo, in quo peccaverunt, et ad satisfaciendum Deo, oportet, quod ille acceptet ea, quæ offeruntur; sed Deus non acceptat factum aliquid, vel tolerantiam a peccatore, quia extra charitatem est; ergo nunquam poterit satisfacere, neque incipere satisfacere, sed manebit semper debitum integrum. ABUL. in c. *Math.* XXVIII. Sanctus Bernardus rationem assignat, cur peccatum in hac vita commissum, et præteritum, æterno subijci debeat supplicio, dicit enim: Ob hoc procul dubio inflexibilis et obstinata mentis sumitur æternaliter malum, licet temporaliter perpetratum, quia quod breve fuit tempore, vel opere, longum esse constat in pertinaci voluntate. Illa namque contumacia, et mentis obstinatio, quæcum peccator in hac vita Deum offendit, nisi illam in hac vita corrigat, in perpetuas æternitates incorrigibiliter perseverabit. S. BERN. epist. CCLII.

*Nosse debet, cur pœna damni tam graves censentur.* Nimirum ob causam a Mansi indicatam, dum ait: In parabola de decem virginibus Incarnata Sapientia præmium animarum electarum in virginum prudentiam ad nuptias ingressu, præcitorumque supplicium in inferno stultarum virginum exclusionem nobis manifestatur, duobus dumtaxat verbis universam innumerabilem omniumque atrocissimorum suppliciorum circumscriptis congeriem, dicens: « *Nescio vos.* » Nonne longe graviora eas animas, manebant tormenta? Nequaquam, quia in hac unica pœna, scilicet damni, omnes alia virtualiter et eminenter recluduntur. MANSI, disc. XXII, n. 11. Ideoque idem D. Chrysostomus in aliqua quadam homilia inquit: Si mille aliquis ponat gehennas, nihil tale dicturus est, quale est a beatæ illius gloriæ honore repelli, exomneque esse Christo, et audire ab illo: Non novi vos. Si id non possumus sermone de-

monstrare, nihil est omnino mirandum; neque enim novimus illorum beatitudinem præmiorum, ut infelicitatem quoque de illorum amissione scire possimus. Nos autem hanc absque dubio discemus, cum experimento cœperimus doceri. Itaque tunc aperientur oculi, tunc auferetur velamen, tunc enim ingenti dolore impij videbunt, quid inter bonum æternum et summum, et hæc caduca et fragilia discriminis sit. S. CHRYS. hom. XXIV. in *Math.*

*Nosse debet, quæ causa sit, cur tam multi in hanc penam damni incidant.* Nimirum sola honorum terrestrium nosque decipiunt aviditas, quia scilicet hæc perdere reusamus, ut non paucos proinde senioribus illis Susanna insultantibus, simillimos dixerim, de quibus Daniel scribit: «Evertentur sensum suum, et declinaverunt oculos suos, ut non viderent cœlum, neque recordarentur iudiciorum justorum.» DANIEL, c. XIII. Imo in nos, dum vivimus, illud quadrat Psalmistæ dictum: «Supercedit ignis, et non viderunt solem.» Ignis namque concupiscentia nostræ impedit nos, quo oculos, nostros in Solem deligamus æternum, qui triluis luminibus in una luce resplendet. S. Gregorius tamen hæc eadem verba ita explicat, dicens: Ignis super impios cadit, sed Sol igne cadente non cernitur, quia illos, quos gehennæ flamma devorat, a visione veri luminis cœcat. S. GREG. I. IX *Mor.* c. XXXVIII.

*Nosse debet, cur misericordia Dei respectu damnatorum sit implacabilis.* Nimirum ob causam a S. Bernardo indicatam, dum dixit: Nec ulla omnino credenda est erga impios futura miseratio, ubi nec ulla speranda est correctio. S. BERN. s. VIII. in *Psal.* Qui habitat. Unde gemunt, teste S. Cyrillo, sine intermissione, sed nullus est, qui misereatur; vociferantur ex profundo, sed nullus est, qui exaudiat; lamentantur, sed nullus est, qui liberet; exclamant et plangunt, sed nullus est, qui commoveatur. S. CYRILL. orat. de *Exit. omni.*

*Nosse debet, cur tam multi damnentur.* Nimirum, quia ad æternorum gaudiorum patriam deveniendi arctissima, et sine ambiguitate aliqua, a paucissimis certe cognita extat via; eundi ad perditionem, iter latissimum. S. CYRILL. exp. XVIII. d. S. August. Quod confirmans S. Aug. sic discurret: Neque enim utramque demonstraretur in omnibus, quia si omnes remaneret in po-

nis justæ damnationis, in nullo appareret misericors gratia redimentis; rursus si omnes a tenebris transferrentur in lucem, in nullo appareret severitas ultionis, in qua propterea multo plures, quam in illa sunt, ut sic ostendatur, quid omnibus deberetur; quod si omnibus redderetur, justitiam vindicantis juste nemo reprehenderet. S. AUG. s. XXI. de *Civ. Dei.* c. XII.

*Nosse debet, et firmiter credere, quod Ecclesia et SS. Patres de qualitate, quantitate, et æternitate infernalium poenarum credendum proposuerunt.* Quem in finem discursus S. Gregorii proderit sic loquens: Si esse Sanctorum animas in cœlo, sacri eloquij testificatione credidisti, oportet, ut per omnia esse credas et iniquorum animas in inferno, quia ex retributione æternæ justitiæ, ex qua jam justî glorificantur, necesse est per omnia, ut et injusti crucientur; nam sicut electos beatitudo lætificat, ita credi necesse est, quod in die exitus sui ignis reprobus exurat. S. GREG. I. IV *Mor.* c. XXVIII.

*Nosse debet æqualem hujus poenæ, quæ potissimum ex obstinatione voluntatis desumitur.* Cum enim voluntas damnati, ut loquitur S. Gregorius et Innocentius, licet amiserit potestatis affectum, semper tamen retineat malignitatis effectum, voluisseque sine fine vivere, ut sine fine potuisset in iniquitatibus permanere, justum est, ut, qui in suo æterno peccavit in Deum, in æterno Dei puniatur.

*Nosse debet, quod, licet præcipue studere debeat ut ad omnes actiones suas ex purissimo Dei amore moveatur, non omittere tamen debeat, etiam ex inferni consideratione solidos aliquot fructus referre,* qui quidem triplex est potissimum. 1. Ut timore inferni, lamquam efficaci freno utatur, per quem se ab omni peccati periculo cohibeat; nam, ut sapienter S. Bernardus dixit, hæc qui pavet, cavet; qui negligit, excedit. 2. Ut per ejusdem inferni considerationem se ad patientiam exstimulet: Quæ enim quisque gravia valde patitur, inquit S. Augustinus in comparatione æterni ignis non tantum parva, sed nulla sunt. S. AUG. ser. 109. Et alibi: Quis non bibat temporalis tribulationis poculum, metuens ignem gehennarum, et quis non condemnat dulcedinem sæculi, inhians dulcedini vitæ æternæ? Major timore minora contemnimus, et majore æternitatis cupiditate, omnia temporalia fastidimus. Idem, in *Ps.* LXXVIII. 3. Ut arden-

tem in se zelum animarum excitet, videns, in quanti mali periculo versentur peccatores, ex quo, si posset, etiam canem liberaret.

#### CONCEPTUS PRÆDICABILES.

Ex occasione thematis: *Ibant hi in supplicium æternum;* (MATTH. XXV. 46.) potest gravitas hujus supplicij explicari, eumque in finem sententia S. Chrysostomi usurpari: Nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascenderunt, quæ preparavit Deus offendentibus se. S. CHRYS. s. de *Reparat.* Et 1. ostendi, quanta viderit oculus tormenta in hoc mundo, et tamen hæc omnia, ut idem Sanctus ait, nec umbram esse ad illa tormenta inferni. 2. Ostendatur, quanta tormenta et dolores vel afflictiones audiverit auris, quomodo, ut iterum ait S. Chrysostomus, criminosos trahant, ligent, facerent tormentis admoveant, et tamen hæc omnia ludicra et risus sint ad illa supplicia. 3. Ostendatur, quanta in cor ascendere possint tormenta, et tamen hæc omnia levia sint respectu illorum suppliciorum; sicut enim propter perfectam Sanctorum beatitudinem, nihil erit in Beatis, quod non sit gaudij materia; ita nihil in damnatis, quod non sit eis materia et causa tristitiæ, nec aliquid ad tristitiam pertinens, deest, ut sit consummata eorum miseria. Quæ omnia fusiis explicata videri possunt apud Engelger. embl. II, *Luc. Evang.*

Ex occasione thematis: *Discedit a me maledicti in ignem æternum!* (MATTH. XXV. 41.) potest explicari gravitas poenæ æternalis, ex ignis hujus cum nostro igne comparatione. Et I. quidem dici, quod sit infinitus quasi gravior quoad intensiorem, id quod ex eo intelligi potest, quod noster ignis, teste S. Augustino, pictus dumtaxat videatur respectu ignis infernalis, et tamen, eheu! quam acerbior et intolerabilis est noster ignis! 2. Ostendi potest, quod longe horribilior sit, ac severior quoad extensionem, ut qui non corpus dumtaxat, sed animam etiam, miris quidem, sed tamen veris modis, ut loquitur S. Augustinus, torqueat. 3. Ostendi potest, quod infinitus sit acerbior ac crudelior quoad durationem, cum inextinguibilis a Christo vocetur, et de eo Jeremias testetur: Ignem succendistis in furore meo; usque

in æternum ardebit. JER. XVII. 4. Ut adeo merito S. Augustinus dixerit, quæ quisque gravia valde patitur, in comparatione æterni ignis non tantum parva, sed nulla sunt.

Ex occasione thematis: *Per quæ quis peccat, per hæc et torquetur;* (SAP. XI. 17.) potest ostendi. 1. Quod omnia fere peccata per quinque sensus externos committantur, ut adeo vere de damnatis ad mortem æternam dici queat: Ascendit mors per fenestras, ingressa est domus nostras. 2. Quomodo homo peccator in fisdem sensibus speciales poenas patiatur; id quod inductione ostendi potest, uti fuse probant Mathias Faber conc. III, in *Domin. 3. post Epiph.* et Jeremias Drexelius in *Rogo damnatorum*, cap. II, III, IV et V.

Ex occasione thematis: *Vado parare vobis locum;* (JOAN. XIV. 2.) potest narrari, quod supra de S. Francisco Borgia narratum est, quod nempe ad singula diversoria duos prodromos, cognitionem peccatorum suorum, et considerationem inferni premisserit, et per hos effecerit, ut omnia diversoria, quantumcumque vilia, optime semper instructa viderentur. Ostendatur ergo 1. quomodo hunc prodromum ægri ad suos lectulos mittere, et sicut Drithelmus olim nimiam ipsius in corpus suum sævitiam admirantibus dixit: Acerbiora vidi; ita ipsi dicere debeant: Acerbiora sua meritis. 2. Ostendatur, quomodo hunc prodromum pariter mittere debeant ad tuguriola sua pauperes, ut paupertatem, et incommoda inde sequentia, æquo animo sufferre discant. 3. Ostendatur, quomodo hunc prodromum ad persecutores suos mittere debeant hi, qui graves persecutiones et injurias sunt passi. Hi quippe omnes experientur hujus prodromi beneficio id, quod supra ex S. Augustino relatam est, scilicet omnia, quæ patientur, in comparatione infernalium tormentorum, parva aut nulla esse.

Ex occasione thematis: *Ecce ejicis me foras a facie terræ, et a facie tua abscondor;* (GEN. IV. 14.) potest gravitas poenæ damni explicari ex consideratione faciei, a qua damnati excluduntur. 1. Ergo ostendatur, quam pulchra sit facies id quæ ostendatur, tum ex desiderio Angelorum et hominum desiderantium eam aspiciere; tum ex assertione Diaboli affirmantis, libenter se omnia Inferorum tormenta tolerare velle, ut unico momento aspiciere Dei faciem liceat. 2. Quam amana et jucunda sit facies, ut quæ tanta

dulcedine et hilaritate animam replet, ut nihil huic delectationi in terris comparari queat. 3. Quam *beatificam* sit facies, plenam omnium desideriorum satietatem inducens; quamque adeo merito damnati cum Anna, Tobie matre, irremediabilibus lacrymis defleant orbitatem suam, dicantque: Omnia in te uno habentes non debebamus dimittere te. De qua materia videri potest fusus discurrens Petrus Bessæus, conc. v. de *Inferno*. Item Drexelius, in *Rogo damnatorum*, cap. II, § 2 et seqq.

Ex occasione thematis: *Beati qui non viderunt et crediderunt*; (JOAN. XX, 19.) dicatur recte olim dixisse Joannem Avilam, plerisque homines aut Inquisitionis carcere, aut stultorum caeca dignos sibi videri; aut enim credunt, inquebat, que Deus de celestis gloria et Infernorum supplicii, revelavit, aut non credunt; si posterius, hæretici sunt, et proin ad Inquisitionis carcerem ablegandi; si prius, stultissimi plane sunt, si nihilominus peccare, et se in tam manifestum periculum æternæ gloriæ amittendæ, pœnæque infernalis accersendæ periculum præcipitare pergant. Cum ergo pronum sit arbitrari, multos non firmiter satis, aut saltem non viva fide credere atrocitatem tantarum pœnarum, eandem se variis testimoniis probaturum, ut in ore non duorum dumtaxat aut trium, sed multorum testimonio stet hoc verbum veritatis, cujus assertio tantopere necessaria ac salutaria est hominibus. 1. Ergo probetur Auctoritate *Dei*, eumque in finem aliquot ad hunc finem magis idoneæ sententiæ ex Sacra Scriptura supra citata afferantur. 2. Auctoritate *Christi* tanta passi, ideoque merito ad mulieres compatientes dicentis: Si in viridi ligno hæc faciunt in arido quid fiet? (LUC. XXIII, 41.) 3. Auctoritate *Sanctorum*; ex quorum felicitate sic discurrit S. Gregorius: Si esse Sanctorum animas in celo sacri eloqui testimonio credidisti, oportet, ut per omnia esse credas et iniquorum animas in inferno, quia ex retributione æternæ justitiæ, ex qua justijam glorificentur, necesse est, per omnia, ut injusti crucientur. (S. GREG. I, IV, *Dial.* c. XXVIII, 4.) Auctoritate *Ecclesiæ* hunc arciculum in symbolo proponentis, et firmissime semper contra Hæreticos propugnantis, ut ex variis Conciliis, præcipue Florentino in litteris unionis, patet. 3. Auctoritate *SS. Patrum*, quorum aliquot selectiora testimonia desumi possunt. 6. Auctoritate

*Iustorum*, in terris adhuc degentium; nam ut S. Gregorius iterum discurrit: Electos Dei cernimus pia agere, et crudelia tolerare. Hinc ergo colligitur, districtus Judex quanta illic feriat districtione, quos reprobet, si hic cruciat, quos amat. (S. GREG. in *Mor.*) 7. Auctoritate *Damnatorum*, qui, cum hic non crederent illas pœnas, post mortem apparentes, nimis veras esse, se proprio nunc damno experiri confessi sunt. 8. Auctoritate *Ethnicorum*, Tantalij, Ixionis, Tithij et Sisyphi pœnas æternas fingentium. 9. Auctoritate *Naturalis luminis*; nam ipsa ratio dictat, æquissimum esse, ut nunquam careant supplicio, quorum mens in hac vita nunquam voluit exere peccato, et ut nullus detur iniquo terminus ultionis, quia, quamdiu valuit, habere noluit terminum criminis. 10. Auctoritate *Historicorum* tam horrenda de ignibus Vesuvij et Ethnæ montium cœctis referentium, ut merito binæ inferni fauces credantur. Que omnia fusus diducta apud Fabrum, conc. II, in *Dom.* 2, post *Pent.* videri possunt.

#### ALII CONCEPTUS PRÆDICABILES.

QUALITAS. — Ignis erit vehementior et fortior apud inferos etiam naturaliter, quam alibi; nam ignis fortificatur ex conditione rei ignite, nam quanto res ignita est solidior et compactior, tanto est actio fortior, et intensior caliditas. Alia etiam intensio causa est, per antiperistasin, qualis ibi erit. Nam erit illa concavitas Inferni in corde terræ, et quia est locus valde frigidus, cum terra sit nimis frigida, et ibi sit elongata ab omni calore, frigiditas fœtus terræ circumstantis faciet congregari virtutem ignis, et erit efficacior in actione, et intensior in calore. ABULENSIS, in c. XXV, *Matth.*

Ad hoc propositum revocandæ sunt in memoriam ingentes illæ Babylonicæ fornacis flammæ, de quibus Danielis 3 dicitur: *Effundebatur flamma super fornacem cubitis quadraginta novem*. Quoniam enim mysterio Spiritum Sanctum adeo distincte hunc cubitorum numerum, in quo ignis ille exereverat, expressisse existimatis? Omnia in figura contingebant illis; hæc enim flamma, ignis gehennæ flammam præfigurabat; potuisset quidem Deus, utepote nature Auctor efficere, ut flammæ illæ ad quinquaginta et amplius cubitos, qui perfectus est numerus, pertingerent; verum tamen ob certum mys-

terium illas ad hunc numerum nequaquam pertingere, sed in quadraginta novem cubitis terminari voluit, ut per hoc insinuaret, quod, cum numerus quinquagenarius remissionis, veniæ et indulgentiæ sit indicativus (siquidem ad annum Jubilæi alludit, qui quinquagesimo quoquo anno celebratur, in quo tempore omnia debita, quibus unus alteri adstringebatur, remittebantur) ignis ille infernalis per omnem æternitatem, ne quidem per figuram, vel per umbram quacumque etiam crudelissima inflicta pœna, pro minimo etiam peccato expiari, aut remitti possit. Spes enim impiorum peribit, quia in Inferno nulla est redemptio. MANSI, disc. XXIV, 1.

Apud Ezechielem de vindice Divinæ Justitiæ ense legitur: *Ut sciat omnis caro, quia ego Dominus, eduxi gladium meum de vagina sua irrevocabilem*. Porro quamdiu in hac vita degimus, Deus ense suum in vagina sua reconditum tenet, quia patiens est, et ad poenitentiam nos expectat; post hanc vitam vero in Inferno gladium suum stringere incipit, idque irrevocabiler. Unde S. Augustinus æternam condemnationem incommutabilitatem Divinæ sententiæ appellat. *Ibid.* n. 3.

Albertus M. circa Evangelicam divitis Epulonis historiam hæc habet considerationem: *Magnum chaos firmatum est*, inquit Abraham, *ut hi, qui volunt hinc transire ad vos, non possint*. In quo tangitur, quod, etsi Sancti ex inclinatione nature, que perfectissima est in eis (qui volunt transire ultra Chaos, compassionis affectu, quia sicut dicitur Ecclesiastici 44, *sunt viri misericordiarum*) ad vos damnatos juvandos descendere vellent, non possunt, propter congratulationem justitiæ, cui adhaerent; letabitur justus, cum viderit vindictam. S. ALBERT. M. in c. III, *Luc.*

Apud Sophoniam sex dierum fit mentio, quibus impii in æternæ perditionis profundo barathro cruciabuntur; dicit enim: « Dies iræ, dies illa. » Ecce primum diem: « Dies tribulationis et angustiae. Ecce secundum: « Dies calamitatis et miseriæ. » Ecce tertium: « Dies tenebrarum et caliginis. » Ecce quartum: « Dies nebulæ et turbini. » Ecce quintum: « Dies tubæ et clangoris. » Ecce sextum. At vero quodnam in eo latet mysterium, quod nulla diei septimæ mentio fiat? Nimirum ratio est hæc, quia Sabbatum dies erat Deo dedicatus, et destinatus quieti, damnati autem nullam in pœnis habituri

sunt quietem, ideo in medijs tenebris illis ne minimum quidem cœlestis luminis videbunt vestigium. Confirmat id ipsum Rupertus Abbas dicens: Quia de septima die nihil ibi erit, nihil de Sabbato Domini, sed sine requie, sine ulla requietionis spe tribulabitur. MANSI, l. c. n. 4.

Memoratus S. Albertus M. ingeniose notat titulum, quem S. Joannes inferni barathro attribuit, inquit: Missi sunt in stagnum ignis et sulphuris; querit enim, cur non potius illud torrentem, lacum, vel pelagum, appellaverit? Et respondet, quia tormentum inferni stabile est, et immobile, ut stagnum plenum ardore et fetore. Enim vero hujus vitæ cruciatus cito transeunt, et ideo semper spes superest, ut unius vel plurium annorum decursu fortuna mutetur; hæc autem spes desperatos illos consolari in æternum non poterit. *AB. MAG. in cap. x, Apoc.* Non longitudo temporis mollit dolorem, inquit D. Chrysostomus, quomodo enim cum flamma perpetuo illos premit, non spes liberationis? Est enim æternum supplicium; non mortis expectatio? Est enim pœna æterna; et sunt etiam, que puniuntur, corpora immortalia. S. CARVS. in *Ps.* XLIX.

Salmeron verba illa Evangelii: « Ligatis manibus, etc. » sic exponit: Postquam quilibet fuerit convictus de merito damnationis, jubetur ligari manibus et pedibus, qui vel morem expressit Magistratum, facinorosos in vincula conjicientium, vel secundum Theophylactum, significare voluit, quod post hanc vitam non sit amplius futura potestas operandi aliquid, quo vel bonum vel malum promereamur, quia scriptum est: Venit nox, quando nemo potest operari. Vel ne valeat se a pœnis manibus defendere, vel pedibus effugere, quas necessario cogitur considerare, et pati; affectu etiam necessario vult operari mala, ideo etiam pedibus ligatus est. SALMERON, tom. VII, tr. XXXVII, n. 27.

Josephus Mansi de qualitate pœnarum infernalium sic discurrit: Nescio sane, si ullus Regni integri possessionem omnino pacificam ad viginti annos adire vellet, cum hoc dumtaxat adjecto pacto onerato, ut per centum annos in morbido quodam lecto extensus jaceret, ita ut ne digitum movere, nec pupillam elevare posset, sub pœna perendi jus ad dictum Regnum. Sane etiam si omnes ibi adliberentur musicæ harmoniæ, refeculationes, honores, recreationes, simi-

lesque mentem divertentes gaudiorum circumstantiæ; nihilominus tanto tempore ingens hoc tedium nequaquam tolerare posset, neque dictam acceptaturus esset conditionem. Quanta igitur tot, tantorumque est stultitia, de quibus dicitur: « Lassati sumus in via iniquitatis, ambulavimus vias difficiles; » qui, inquam, in suis impietatibus desudant, non ut regnent in cœlis, sed ut per omnem eternitatem super lectum ignis infernalis distendantur, Regnumque perdant beatum. MANSI, disc. xxvii, n. 34.

ÆTERNITAS. — S. Gregorius interrogatus, quomodo iustum sit, ut culpa, quæ cum fine perpetrata esset, sine fine puniatur? respondit: Hoc recte diceretur, si districtus Iudex non corda hominum, sed facta pensaret. Iniqui enim ideo cum fine deliquerunt, quia cum fine vixerunt, nam voluissent utique, si potuissent sine fine vivere, ut potuissent sine fine peccare. Ostendunt enim, quia in peccato semper vivere cupiunt, qui nunquam desinunt peccare, dum vivunt, ad magnam ergo iustitiam iudicantis pertinet, ut nunquam careant supplicio, qui in hac vita nunquam voluerunt carere peccato. S. GREG. *op. Mansi*, disc. xxx, n. 5.

Vincentius Bellovacensis pariter ad malitiam voluntatis reprobat, non vero ad actum peccaminosum recurrens, illam a iustitia æquissimo pondere trutinari his verbis dicit: Deus non tantum extrinsecas considerat actiones, verum etiam intrinsecas voluntates, nec considerat quantum, sed ex quanto in ejus sacrificio quis impendit, vel in flagitio, quod committit. Cum igitur impius ex improba voluntate non ponat modum in delectatione peccati, nec tantam delectationem nunquam invenire potest, quin vellet semper, si posset, amplius delectari; ideo Deus, qui corda pensat, non facta, poenas infligit non secundum delectationem habitam sed quasi-tam. BELLOV. *Spec. Mor.* l. II, p. VI, dist. v.

UTILITAS MEMORIE INFERNI. — In Arles quemdam Joannem Berleum fuisse accepimus, qui, cum admodum longo tempore a medicis deploratus, lecto affixus ex paralyysi jaenisset, quadam die in domo sua ignem conspicatus fuit, qui cum jamjam tabulatam cubiendi sui lamberet, ac popularetur, repente ille horrore percussus, et jam mortem sibi instantem animo imprimens, ita spiritus animales percussit, nervorumque contractorum nodos abruptis confestim, ut lecto exilierit, et fenestra forte fortuna ap-

prehensa, animoso per eam saltu, se eiecit, et velut metu ac errore persequente, et ignem, et paralytin diurnam effugerit. Ita quoque plurimi velut congelati, inque malorum habitum suorum lethargo sepulti jacent, Dei, alteriusque vite prorsus immemores, totidem sane paralytici spiritua-liter; ad quos excitandos (siquidem hora est jam nos de somno surgere) efficacissimum remedium est, seria ignis infernalis apprehensio, dicente D. Chrysostomo: Itaque si future sensus gehennæ nos teneret, et intolerabiles illas cogitarem poenas, etiamsi rem et animam, et corpus, Dei legibus, tradidissemus; non doleremus, scientes quod majora luerabimur, a futuris mal liberationem. LUDOV. RICHEOMUS, in *Valdict. anim.* coll. v.

Joannes Baptista a Deo electus erat, ut vias dirigeret, id est, perversos reformaret Hebræorum mores, pararet viam Domini, rectas faceret semitas ejus; idque per prædicationem suam operari debebat, dicente S. Luca: « Factum est Verbum Domini super Joannem Zachariæ filium, » hoc est, subjungit Albertus Magnus: « Vade, prædica; » sen, ut Theophilactus interpretatur, per *Verbum*, intellige Spiritum Sanctum; Spiritus itaque Sanctus præceperat ei officium prædicandi; ideoque venit in omnem regionem Jordanis prædicans, sed quale putatis eum ex Spiritu Sancti instinctu habuisse thema? Prædicans Baptismum penitentiae. Sed ut populum hunc ad veram induceret penitentiam, ut geminam viperarum in columbas transmutaret, quibus eum argumentis, quibus rationibus, quæve Rhetorica usum fuisse putatis? « Exibat ad eum Jerosolyma, et omnis Judea, et omnis regio circa Jordanem, et baptizabantur ab eo in Jordane, confitentes peccata sua. » Publicani etiam certatim accurrebant, in dietis se abluentes aquis. Venerunt autem et Publicani ut baptizarentur; imo milites, de quibus Poeta cecinit ab initio:

Nulla fides, pietasque viris, qui castra sequuntur.

Venerabundi et trementes interrogabant eum: Quid facimus et nos? Quot equidem in sæculis præteritis Prophete in austeritatibus, prodigiisque magnis Verbum Dei annuntiaverant, et nihilominus toto eo tempore tantam non potuere colligere messem, quam Baptista diebus paucis. Quæ tantæ operationis differentia? Illi temporalia ire

justitiæque Divinæ supplicia intentabant in vita præsentis inferenda; Baptista vero atrocitatem prædicationis Inferni; inquam: « Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum excidetur, et in ignem mittitur; paleas comburet igne inextinguibili. » MANSI, disc. I, n. 7. Hinc S. Chrysostomus, stupendam hanc conversionem admirans ita dicitur: Quid factum est, quod, cum impiorum essent filii, tamque nequiter educati, susceperunt subito penitentiam? Unde hæc facta est repente tanta conversio? Quis vulnera immedicabilia curavit? Ignis infernalis curavit plagas; ideoque subjungit Sanctus: Considera, quemadmodum illos ab ipsis principibus attonitos reddiderit, de gehenna scilicet inferendo sermonem; hæcque ignis infernalis timorem tanto incutebat majorem, quanto dictam poenam viciniorem, non vero remotam esse doceret, in deserto illo exclamans: « Jam securis ad radicem arboris posita est. » S. CHRYS. c. xxiii, 11 in *Moth.*

S. Thomas Villanova Inferno ingeniosum quidem, sed parum plausibile attribuit epithetum, inquam: O vere necessariam gehennæ poenam, vere decoram Inferni pyram! At vero inques, qua ratione illam carbonum ignitorum simulque tenebrosorum et obscurorum catastam, pulchram et decoram appellare potuit? Ratio hujus epitheti esse potest, quia timor ignis illius animas nostras purificat pariter et venustat, ut idem S. Archiepiscopus subdit: Vere decoram Inferni pyram, quæ Creatoris sui injurias vindicat, et inordinata per culpam reordinat per poenam. Vere pulchram creaturam, mundoque utilissimam post reatum, quæ si post culpam deesset, defectuosus et imperfectus Mundus maneret. S. THOM. VILLANOVA, c. 1 de *Judicio*. Nulla potest quidem Regno cœlorum excogitari pulchrior, et opulenter fabrica, nec deformior et horribilior abyssus infernali; et tamen D. Chrysostomus inquit: Etsi cœlorum est Regno gehennæ contraria, ad unum tamen ambo finem respiciunt, hominum salutem, illud quidem ad se alliciens, hæc autem ad se compellens, et timore corrigens se negligentius habentes. S. CHRYS. hom. vii ad *Pop.* Idem quoque S. Doctor, l. I, de *Providentia divina*, non minus admirandam esse dicit Dei clementiam, dum cœlum nobis promittit, quam dum nobis comminatur infernum: Non minus, inquit, gehennæ comminatio, quam promissio Regni ineffabilem ipsius clemen-

tiam commendat. Nisi enim ille gehennam minatus esset, non facile quispiam cœlestibus bonis potiretur. S. CHRYS. *1 de Provid.* tom. VI.

## MISCELLANEA.

QUALITAS. — Refert Giraldus Cambrensis in mari Hyberniam alluente insulam visam, quæ si quis ad eam appellere volebat, mox alio se transferebat, donec quidam juvenes consilio quorundam instructi igneus sagittas in illam coniecerunt, tunc enim immobilis consistebat. Talis fugitiva insula cor hominis est. Quare si voluimus illud sistere, et stabilem Deo sedem in eo parare, igneæ sagitta, id est, timor inferni in illud, jacendus est. *Apud Fab.* l. c.

Zeno Imperator, quem uxor in ebrietate vivum sepeliri jussisset, lamentabili semper voce clamat: Ah! miseremini, et aperite mihi! Cumque custodes responderent, alium jam regnare: Nihil, ille aiebat, curo; vos, aperite duntaxat, et in monasterium me abducite. Sed cum non aperiretur, ferunt, postea inventum præ fame caligas et brachia sua ac lacertos absumpsisse. O quam gement damnati in Inferno sepulti. CEBRENSIS, *apud Fab.* conc. 3 in *Don.* xix post *Pent.* n. 3.

S. Macarius a Fratribus de Monte Nitriæ rogatus, ut salutari monito eos instrueret, cum lacrymis dixit: Ploremus, o Fratres, et lacrymas oculi nostri producant, antequam eo hinc migremus, ubi lacrymæ comburant corpore. Quæ quidem adhortatione ita moti sunt Fratres, ut et lacrymas copiose profunderent, et in genua prostrati ad S. Macarium dixerunt: Pater, ora pro nobis. CEBRENSIS n. 4.

Proverbium est Italis: Aspettar, et non venir; giacer, et non dormir; servir, et non gradir, son tre cose da morir. Id est, expectare, et non venire; jacere, et non dormire; servire, et non placere, sunt tria, quæ possunt mortem accelerare; quod nimis verum damnatos experiuntur. FABER, conc. *1 in Don.* xviii post *Pent.*

Lysimachus Rex a Seythis obsessus, cum ob potum aquæ se hosti tradidisset, eadem assumpta dixit: O quam brevis voluptatis causa, et regnum et libertatem amisi? Ah! quid reprobi dicent, cum se propter momentaneam voluptatem et Regno cœlesti privatos, et ad tanta supplicia damnatos viderint? GRAN. *loc. cit.* l. 831.

Bion Philosophus dicebat, viam ad Inferos planissimam ac tritissimam esse oportere, cum plerique illic clausis oculis eant. DREX. in *Rogo damnatorum*.

Que vitia potissimum ad Infernum deducant, Thomas Morus hoc disticho indicavit,

Si quis ad inferos properat descendere Manes  
Huc iter accolorant, Balnea, Vina, Venus.

Quemadmodum olim Jacob Patriarcha manum dextram Ephraimo juniore filio Joseph, sinistram vero Manassi filio seniori imposuit; ita Deus ad dextram olim eos, quos mandus postponebat, ad levam eos quos illic preferebat, collocavit. ISCH. p. III, c. XX.

ÆQUITAS. — Daniel, ubi visum de Nabuchodonosore septem annis inter bestias victuro audivit, sic expavit, ut ad horam mutus staret; quid nos si damnatos æternum inter Demones et tormenta victuros credamus? DANIEL IV.

UTILITAS. — Afri, ut leones a se arserent, alios a se captos suspenderunt, quibus visis reliqui silvis exire non sunt ausi; quanto magis ad infernum accedere verebuntur homines, si damnatos tantopere cruciatus intueantur? LIPSIUS, l. de *Cruce*.

Democritus Philosophus docere solebat, orbem duobus mediis contineri, amore præmi, et timore supplicii; quæ duo Cyrus Rex Regis brachia appellabat. Recte autem de præmio Regni cælestis et supplicio Inferni intelliguntur; per hæc enim vel maxime homines in officio continentur. BESSÆUS, conc. i de *Infern*.

Cum Asceta quidam Achillem Monachum rogasset, unde accideret, quod in cella otio ac torpore marcesceret? respondit is, id inde provenire, quod nec quietem, quam speramus, nec tormenta, quæ timemus, animo volveret; hoc enim si faceret, etiamsi cella veribus plena esset, libenter in ea mansurum. VIT. PP. l. q. §. 107.

ÆTERNITAS. — Etsi flamma fornacis Chaldaæ usque ad quadraginta novem cubitos se porrexerit, quinquagesimum tamen jubilearii numeri non attingit, quia figura erat ignis infernalis, ubi nullum jubileum spei et gratiæ datur. BESSÆUS, conc. vi de *Inf*, p. 2.

Recte quoque Prudentius canit:

Vermibus et flammis, summis cruciatibus ævum  
Immortale dedit, senio ne flamma periret.

PRUD. contra *Marcionit*.

### AXIOMATA.

Cesset voluntas propria, et Infernus non erit.

Facilis descensus Averni.

Qui vivus cum Christo descendit ad inferos  
Mortuus cum eo ascendit ad caelos.

Procul ab aula, procul ab inferno.

Momentaneum, quod delectat,  
Æternum, quod cruciat.

Memorare novissima, et in æternum non peccabis. S. BERN.

### AUCTORES.

Petrus Bessæus, de *Quatuor Novissimis*.  
Gabriel Inchinus, de *Quatuor Novissimis* part. III.

Jeremias Drex. in *Rogo damnatorum*.

Philippus d'Outreman, in *Pædagogio Christiano*, p. I, c. VIII, § 9.

Ludovicus Granatensis, in *Loeis Communitibus*, fol. 826.

Joannes Lopez, *Epit.* l. IX, c. III.

Petrus Canisius de *Noviss.* c. v.

Matthias Faber, conc. VIII, in *festo S. Catharini*. Item, conc. VI et VII. *Dom.* 3 post *Epiph.* Item, conc. II et III. *Dom.* 19 et conc. II. *Dom.* 20, conc. VII. *Dom.* 21, post *Pent.*

Thomas Stapletonus, tex. 10, in *Dom.* 3 et tex. 8, in *Dom.* 3 post *Epiph.* Item, tex. 9, in *Dom.* 19 post *Pent.*

Henricus Engelgrave, in *Luce Evang. Dom.* 5 post *Pent.*

Josephus Longius, in *Polyanth.* lit. cod.

Jacobus Sallianus de *Timore Dei* l. III.

Dionysius Carthusianus, de *Quatuor Novissimis*, c. XXXV.

Georgius Reel, in *Regulis prudentiæ* p. I, c. III.

Bartholomæus Saluthius, in *Septem Tubis*, tuba 6, tota.

fortis adjutoris tui non eris recordata. JER. XVII, 4.

### INGRATITUDO.

#### EX SS. PATRIBUS.

DAMNUM. — Ingratitudo est inimica animæ, exinanitio meritum, virtutum dispersio, beneficiorum perditio, ventus urens, sicca sibi fontem pietatis, rorem misericordiae, fluenta gratiæ. S. BERN. s. LII.

Recolam ad mentem meam omnia bona, Domine, quæ fecisti mihi a juventute mea, in omni vita mea. Scio namque, quod ingratitude multum tibi displiceat, quæ est radix totius mali spiritualis, et ventus quidam desiccans et urens omne bonum, obstruens fontem misericordiae tuæ super hominem, quia et mala jam mortua oriuntur, et viva jam operamoriuntur. S. AUG. c. XVIII, *Soliloq.*

Si accipientes divina munera taciti et immemores fuerimus, tanquam ingrati et indigni eorum subministrazione fraudabimur. S. AMBR. s. XLII.

Ingratus extitit, qui plenus virtutibus Deum non omnino timuit. In hoc enim quisque peccator sit culpabilior, quo est Deo acceptior. Ideo enim Adam plus peccavit, quia omni bono abundavit. S. AUG. l. de *Pæn.*

Quanto majora beneficia sunt hominibus collata, tanto graviora peccantibus judicia constituta. S. CHRYS. sup. *Math.*

Gratiarum cessat discursus, ubi recursus non fuerit. Nec modo nil augetur ingrato, sed et quod accipit, in perniciem ei vertitur. S. BERN. s. in c. i. *Jejunii*.

Retribuabant mihi mala pro bonis. Ego attuli fecunditatem, ipsi retribuabant sterilitatem; ego vitam, ipsi mortem; ego honorem, ipsi contumelias; ego medicinam ipsi vulnera; et in his omnibus, quæ retribuabant, utique steriles erant. Hanc sterilitatem in arbore maledixit, ubi fructum, cum quaereret, non invenit. S. AUG. in *Ps.* XXIV.

Ingratitudo peremptoria res est et hostis gratiæ, inimica salutis, quoniam nihil ita displicet Deo, quemadmodum ingratitude. S. BERNAR. sup. *Cont.*

Si gratiam homini non referre simile est homicidio, quantum crimen est Deo non referre? S. AMBR. in *Offic.*

Grave nimis est, ut fructus laboris sui fraudetur industrius, et cui debet pro sedu-

#### QUOAD ESSENTIAM.

DEFINITIO. — Est culpabilis negligentia in debite gratitudinis officio persolvendo. Seu breviter: Est culpabilis offensio gratitudinis debite. JOS. LANG. V. eodem.

ACTUS. — Beneficium acceptum negare.  
Beneficium collatum dissimulare.  
Beneficium acceptum non compensare.  
Beneficii accepti penitus oblivisci.  
Beneficium collatum maleficio rependere. SENECA.

#### EX S. SCRIPTURA.

QUALITAS. — Non est inventus, qui redderet, et daret gloriam Deo. LUC. XVII, 17.

Filios enutrivit, et exaltavi, ipsi autem spreverunt me. ISAIAS, I, 2.

Cognovit bos possessorem suum, et asinus præsepe domini sui; Israel autem me non cognovit, et populus meus non intellexit. IS. I, 6.

Quid est, quod debui ultra facere vineæ meæ, et non feci? An quod expectavi, ut faceret uvas, et fecit labruscas? IS. V, 6.

Numquid redditor pro bono malum, quia foderunt foveam animæ meæ? JER. XVII, 20.

Hoc autem scito, quod in novissimis diebus instabunt tempora periculosa; erunt enim homines seipsos amantes, cupidi, elati, superbi, blasphemii, parentibus non obediens, ingrati, scelasti. II. TIM. III, 1.

Hæcne reddis Domino popule stulte et insipiens? Numquid non ipse est Pater tuus, qui possedit te, et fecit, et creavit te? DEUT. XXXII, 6.

DAMNUM. — Qui reddit mala pro bonis non recedit malum de domo ejus. PROV. XVII, 13.

Ingrati spes tanquam hybernalis glaciæ, tabesceat, et disperiet tanquam aqua supervacua. SAP. X, 29.

In die illa erunt civitates fortitudinis ejus derelictæ sicut aratra et segetes, quæ derelictæ sunt a facie filiorum Israel, et eris deserta, quia oblita es Dei Salvatoris tui, et